I. De Taciti vita et scriptis.

II. Quo consilio Tacitus Germaniam scripsisse videatur.

Von

Dr. Helmuth Liesegang.

Gymnasial-Direktor.

Wissenschaftliche Beilage zum Programm des Königlichen Gymnasiums zu Cleve,

Ostern 1897.

CLEVE 1897.

Druck der Koch'schen Buchdruckerei H. Stens.

Progr. Nr. 445.

qKL
4 (1897)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

I. De Taciti vita et scriptis. (1865)*)

Miro quodam casu accidit, ut de clarissimis Romanorum rerum scriptoribus aut nihil aut non multum memoriae sit proditum. Nam de Livio quidem, qui immenso illo opere res Romanas ab Aeneae in Italiam adventu usque ad ipsius aetatem complexus est, praesertim cum ipse otio studiisque deditus a rebus gerendis remotus fuisse videatur, nihil fere scimus. Taciti autem praestantissimi illius scriptoris vita, quamvis summis honoribus sit functus, iisdem fere tenebris iacet occulta. Ignoramus eius praenomen, familiam, nescimus, ubi quove anno natus sit, quo anno decesserit. Atque quo anno natus sit, coniectando si non certissime at probabiliter investigare possumus. Plinius enim minor, quocum Tacitus vitae atque studiorum consuetudine fuit coniunctus, scribit in epistola quadam ad Tacitum data (VII 20,3): „erit rarum et insigne duos homines aetate propemodum aequales, nonnullius in litteris nominis alterum alterius studia fovisse. Equidem adulescentulus, cum iam tu fama gloriaque floreres, te sequi, tibi longo sed proximus intervallo et esse et haberi concupiscebam. Et erant multa clarissima ingenia, sed tu mihi (ita similitudo naturae ferebat) maxime imitabilis, maxime imitandus videbare.“ Atque constat Plinium natum fuisse a. 61 p. C. n. Jam ut coniiciatis, quot annis Tacitus fuerit maior, reputate vobiscum Tacitum praetura esse functum a. 88, Plinium quinque annis post, Tacitum consulatum gessisse a. 97, quadriennio post Plinium, ita ut si Tacitum quatuor vel quinque annis Plinio fuisse maiorem statuerimus, non multum a vero aberrare videamur. Fama autem illa gloriaque, qua Tacitus Plinio etiam tum adulescentulo eminebat, ea videtur fuisse, quam illis temporibus adulescentes causis agendis quaerebant.

Fuit ortus Tacitus loco equestri, de familia eius nihil certi constat. Nam procuratorem Belgicae Galliae Cornelium Tacitum, quem Plinius maior (VII, 16, 76) commemorat eius vel patrem vel patruum fuisse, probari non potest. Ipsum praenomen Taciti est incertum. A Sidonio Apollinare (episcopo gallico a. fere 450), cui quidem in eiusmodi rebus non multum fidei est habendum, appellatur Caius; plus sine dubio erit tribuendum vetustissimo illi atque optimo codici Corbeiensi, in quo identidem Publius nominatur. Ceterum Taciti familiam per longum temporis spatium floruisse inde perspicimus, quod imperator Claudius Tacitus (275—6) praeclarissimum illum rerum scriptorem parentem suum dixit.**) Ea autem ipsa de causa quod imperator Tacitus Interamna erat oriundus, Interamnates scriptorem Tacitum suum civem fuisse contendunt

*) Die beiden Abhandlungen, vor einer langen Reihe von Jahren abgefasst, beanspruchen nicht etwas Neues zu bieten. Sie wurden niedergeschrieben zu einer Zeit, als die Lehrpläne noch forderten, dass die Schüler auch einige Fertigkeit im mündlichen Gebrauch der lateinischen Sprache nachwiesen. Seit der Einführung der neuen Lehrpläne und der Abschaffung des lateinischen Aufsatzes ist eine lateinische Einleitung in die Lectüre der alten Schriftsteller, so wie auch die lateinische Erklärung der Schriftsteller wohl nicht mehr angemessen.

**) Flavius Vopiscus Tacit. c. 10.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

atque falsa illa atque levi Italorum ambitione elati et statuam ei posuerunt et effigiem eius ostendunt et sepulcrum eius in suo agro fuisse affirmant.

De Taciti pueritia nihil proditum est neque tamen est dubium, quin iisdem artibus, quibus tum pueri nobiliores ad humanitatem informari solebant, eruditus sit. Acerrimo studio incubuit ad eloquentiam, quae illis quoque temporibus et ingenii famam conciliabat et aditum ad honores parabat brevique rem eo deduxit, ut inter clarissimos oratores numeraretur. Quod Tacitus dicit de Agricola c. 6: illi matrimonium ad maiora nitenti decus ac robur fuisse, idem non dubium mihi est, quin in ipsum Tacitum cadat. Anno enim 77 Agricola consul ei despondit unicam filiam egregiae spei, quam anno post duxit. Ne de honoribus quidem, quibus Tacitus est functus, satis certa prodita sunt. Alii nihil fere de iis, ipse dicit in initio historiarum: „Mihi Galba, Otho, Vitellius nec beneficio nec iniuria cogniti; dignitatem nostram a Vespasiano incohatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim.“ Utrum autem sub Vespasiano fuerit quaestor, aedilis sub Tito, an his verbis minores quidam magistratus significentur, in medio relinquamus. Sub Domitiano se praetorem fuisse ipse narrat in Annal. XI, 11: „nam is (Domitianus) edidit ludos saeculares hisque intentius affui sacerdotio quindecimvirali praeditus et tum praetor.“ Post praeturam provinciam sine dubio obtinuit praetoriam, id quod apparet ex ipsius verbis (Agric. 45, 6), ibi enim Agricolae mortem, obiit autem a. 93, narrans queritur: eum sibi et uxori longae absentiae condicione iam ante quadriennium amissum esse. Quam autem administraverit provinciam non magis exploratum est, quam quo anno redierit. Ultima autem Domitiani tempora Romae videtur degisse.

Domitiano vero occiso nova quasi illuxit aetas; homines diuturno servitutis iugo oppressi denuo respirabant. Atque Nerva statim Tacito magnum habuit honorem. Cum enim a. 97 Nerva esset consul collegamque sibi ascivisset Verginium Rufum, eo mortuo Tacitum consulem suffecit. Isque uti mos erat, Verginium oratione funebri laudavit tam illustri, ut Plinius (ep 2, 1,6) iudicaret: hunc supremum felicitati eius cumulum accessisse laudatorem eloquentissimum.

Anno deinde 100 Tacitus consularis et Plinius consul designatus iussi sunt a senatu Afris adesse contra Marium Priscum, qui proconsul illam provinciam foedissime vexaverat atque diripuerat. Quam causam ita egerunt ut et reus, quamquam multi operam dabant ut absolveretur, daret poenas et ipsi summum fructum ingenii, officii, constantiae caperent. (Plin. ep. 2,11.)

Ex eo tempore nihil amplius de Taciti vita scimus. Qua re statuendum erit sine dubio eum honoribus magistratibusque perfunctum otium honestissimum secutum totum ad historiam scribendam sese contulisse. Quonam anno supremum diem obierit, nescimus, id unum constat eum ultra annum 116 vixisse, quae res colligitur ex Annal. II 61: „imperium Romanum nunc rubrum ad mare patescit.“ Nam anno 115 Traianus imperii fines usque ad mare rubrum protulerat, Hadrianus autem, qui Traiano successit, illas regiones iam a. 117 denuo omisit.

Jam accedamus ad Taciti scripta. Videtur autem Tacitus praeter ea scripta, quae ad nostram aetatem pervenerunt, alia quoque composuisse. Dubium enim est, quinam fuerint illi libri, quos Plinio misit duos vel tres (ep II 11, VIII 7, IX 14) in quibus illum adnotare voluerat quae commutanda, quae eximenda esse arbitraretur. Verisimile autem est illos libros fuisse rhetoricos sive orationes, quas habitas edidit sive ad ipsam dicendi artem pertinentes.

Ex his rhetoricis operibus unum superest, clarissimus ille Dialogus de oratoribus, qui num Tacito sit tribuendus, diu dubitatum est ac ne nunc quidem res diiudicata esse videatur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Duabus enim potissimum de causis multi viri neque ii indocti illum dialogum a Tacito abiu dicandum esse censuerunt. Primum enim nusquam eius fieri apud veteres mentionem. Altera vero causa multo est gravior, quod dicendi genus, quod est in dialogo, a ceteris Taciti libris mirum quantum distat. Quibus causis quamquam aliquantum esse tribuendum concedo, tamen potuit fieri ut Tacitus opera rhetorica scribens ea uteretur oratione, quae tum in eiusmodi scriptis usurparetur, conformata illa quidem atque exculta ad exemplum Ciceronis, qui tum rectissime ut perfectus atque absolutus dicendi artifex colebatur. Eadem fere usus est Tacitus oratione, quae a Plinio minore, a Quintiliano ceterisque eius aetatis oratoribus atque rhetoribus usurpabatur. Cum vero Tacitus ad historiam scribendam sese applicuisset, abiecto illo Ciceroniano genere dicendi orationem sibi finxit multo graviorem atque magnificentiorem, maxime illam accommodatam ad res Romanas scribendas. Editus autem est dialogus Domitiano imperatore etiam tum vivo.

Domitiano occiso, cum praeclara illa exorta esset aetas, qua sentire quae quisque vellet et quae sentiret dicere liceret, ut et pietati satisfaceret et demonstraret posse etiam sub malis principibus magnos exsistere viros (Agr. 42) scripsit Agricolam anno 97 exeunte vel 98 ineunte praeclarissimum illum libellum, insignem non minus arte, veri amore, recto iudicio, quam pietate in socerum et vera humanitate. In ipso eius libelli exordio profitetur sese vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum compositurum.

Quod antequam faceret, edidit libellum illum aureolum Germaniam (a 100), qua maiorum nostrorum mores, instituta, terram, civitates descripsit egregie.

Quo anno Historias, quibus res Romanas ab exitu Neronis usque ad caedem Domitiani est complexus, ediderit, parum constat. Cum Hieronymus (comm. ad Zach. 3,14) tradat Tacitum post Augustum usque ad mortem Domitiani vitas Caesarum triginta voluminibus exaravisse, quo numero historiarum et annalium libros comprehendit, cumque annalium libri sint sedecim, luce clarius apparet historiarum libros fuisse quattuordecim. Dolendum est huius operis multo maiorem partem periisse, supersunt quattuor primi libri et pars quinti, quibus vix duorum annorum res continentur.

Annales vel ut rectius vocantur Annales ab excessu Divi Augusti post historias esse compositas intellegitur ex An. XI, 11.; editi sunt non ante annum 116. Nam in an. II 61 scribit Tacitus: „exin ventum Elephantinen et Syenen, claustra olim imperii Romani, quod nunc rubrum ad mare patescit. Illae autem regiones subactae sunt ab imperatore Traiano anno 115, omissae ab Hadriano a. 117.

Quaesitum est num Tacitus, cum diversa duobus his operibus daret nomina, significare voluerit discrimen quoddam inter ea intercedere. Videtur autem Tacitus alterum opus vocasse Annales quod ea tempora describit, quae ipse non vidit, alterum opus, quo suae aetatis res enarravit, nominavit Historias. Differunt autem Taciti Annales mirum quantum a priscorum illorum annalium ieiunitate atque exilitate. Narrandarum et tractandarum rerum ratio in utroque opere est eadem; „materiae igitur diversitatem, non diversam materiae tractandae rationem indicavit“ (Fr. Haase).

In primo opere historico, quod edidit, in Agricola (c 3), Tacitus profitetur: sibi in animo esse memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum componere idemque in prooemio Historiarum dicit: quod si vita suppeditet, principatum divi Nervae et imperium Traiani, uberiorem securioremque materiam senectuti seposui, rara temporum felicitate, ubi

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sentire quae velis et quae sentias dicere licet. At post historias (intellexerat, opinor, difficile esse atque lubricum imperatoris etiam tum viventis historiam perscribere) composuit Annales. Quos cum scriberet, priore illo consilio vel omisso vel dilato annalibus confectis Augusti historiam narrare videtur constituisse. Dicit enim (III 24): sed aliorum exitus, simul cetera illius (scil. Augusti) aetatis memorabo, si effectis, in quae tetendi, plures ad curas vitam produxero." Verisimile autem est Tacitum vel annorum ingravescentium onere vel morte prohibitum neutrum consilium esse exsecutum.

Restat ut paucis exponamus, quod fatum Taciti libri habuerint. Qua in re non potest non mirum videri, quomodo factum sit, ut cum tot scriptorum Romanorum, qui cum Tacito nullo numero sunt comparandi, plurimi codices exstent, librorum Taciti, quem summum atque praestantissimum omnium fuisse contendere non dubitamus, magna pars periret, aliorum vix unus alterve codex manuscriptus supersit. At eius rei causa nescio an ex ipsius Taciti ingenio atque indole sit repetenda. Mihi quidem persuasum est tam acerbam et severam virtutem, quam in Tacito invenimus, ne apud aequales quidem multos habuisse laudatores, nedum posteris, qui Suetonium aliosque eiusmodi rerum scriptores tanquam summum sibi proponerent exemplum, eius scripta probarentur*) Quin etiam conicere licet Tacitum in dies minus esse et lectum et intellectum. Quare mirum non est, quod post unum saeculum et dimidium tam paucis eius libri exemplis erant vulgata, ut M. Claudius Tacitus imperator cavendum putaret, ne lectorum incuria perirent.**) Neque tamen saepe eius iussu Taciti opera potuerunt describi, cum ipse Tacitus sex, eius frater Florianus non amplius duos menses imperium obtineret. Rarissime postea Tacitus commemoratur, Cassiodorus aequalis Theodorici regis, dicit de quodam Cornelio, grammatici eum prorsus videntur ignorasse, medio deinde, quod vocatur aevo, nulla eius mentio.

Cum autem saeculis XIV et XV p. C. n. denuo opera veterum accuratius legi atque tractari essent coepta, cum in Italia, Florentiae inprimis et Romae, studia antiquitatis summa diligentia atque industria recolerentur, tum per omnia monasteria non solum Italiae sed etiam Germaniae, Galliae, Britanniae veterum scriptorum, qui diu iacuerant neglecti, exempla sunt conquisita. Itali praecipue Alpibus superatis eius modi codices investigabant, investigatos stultis istis barbaris, seu bonis seu malis artibus eripiebant atque in Italiam ut parentem atque sedem humanitatis atque litterarum invehere conabantur. Constat mira quadam fortuna accidisse, ut quo tempore veteres scriptores studiosissime et legebantur et describebantur, eodem Germanorum solertia atque ingenio praestantissima illa ars libros typorum opera multiplicandi inveniretur. Cumque primum Taciti opera imprimebantur, deerant primi annalium libri. Abditi latebant in silvis Germaniae, ad Visurgim, in monasterio Corbeiensi. Postea vero codex ille praeclarissimus furto est ablatus atque per plures manus delatus est ad Leonem eius nominis decimum, pontificem maximum, oriundum ex nobilissima illa gente Mediceorum, quam illa aetate artibus litterisque

---

*) Flavius Vopiscus. Probus c 2: et mihi quidem id animi fuit, ut non Sallustios Livios Tacitos Trogos atque omnes disertissimos imitarer viros in vita principum et temporibus disserendis, sed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, Fabium Marcellinum, Gargilium Martialem ceterosque qui haec et talia non tam diserte quam vere memoriae tradiderunt.

**) Flav. Vopiscus Tacitus c. 10. Cornelium Tacitum, scriptorem historiae Augustae, quod parentem suum eundem diceret, in omnibus bibliothecis collocari iussit, et ne lectorum incuria deperiret, librum per annos singulos decies scribi publicitus in cunctis archiis iussit et in bibliothecis poni.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

maxime favisse quis est qui nesciat? Is illum codicem summa laetitia accepit neque tamen reddidit iis, quorum iure erat. „Misit autem monachis Corbeiensibus exemplum editionis ex illo codice expressae magnifice ligatum ac praeterea etiam indulgentiam perpetuam.“*) Codex hic postea translatus est Florentiam, ubi hodie servatur in bibliotheca Laurentiana vel Medicea.**) Postremi annalium libri et primi historiarum et ipsi uno modo codice vetere sunt servati, est Mediceus alter, vitiis ille quidem multo pluribus deformatus. Minorum Taciti librorum nullus exstat codex vetustior.

II.

Quo consilio Tacitus Germaniam scripsisse videatur.

(1864)***)

Atque primum quidem fuerunt qui contenderent Germaniam, ita uti nunc est, non ab ipso Tacito esse perscriptam atque editam. Etenim cum Germaniam cum recentiorum seu geographorum seu ethnographorum descriptionibus comparaverant, iis libellus hic aureolus valde mancus atque imperfectus esse videbatur; multa esse in dubio relicta, multa obiter atque leviter exposita, multa quae scire nostra vel plurimum interesset omnino silentio esse praetermissa, iustum in rebus narrandis desiderari ordinem. Quibus causis, quas quidem magis ipsi in librum illum intulerunt quam inde repetiverunt, moti eam proposuerunt sententiam, ut statuerent consilium quidem eiusmodi librum scribendi Tacitum habuisse, multa eum quae eo pertinerent collegisse atque coacervasse partim ex aliorum libris, partim percontationibus, morte autem fortasse id consilium exsequi esse prohibitum. Mortuo Tacito hanc imperfectam congeriem et farraginem adnotationum ab amicis inventam et quodammodo ordinatam et editam esse.

At hanc qui proposuerunt sententiam, ii vereor ne parum accurate Germaniam legerint, ne parum diligenter, quam artificiose haud raro singulae huius libri partes inter se sint connexae atque colligatae, intellexerint. Deinde quis crediderit Tacitum cum res singulas per multorum annorum spatium litteris consignaret, iam tum ea adiecisse, quibus vel tecte vel palam Romanorum respiceret mores? Quidam praeterea loci velut narratio illa brevis (c 37) de bellis, quae

---

*) epist. Leonis: Et ut cognoscerent ex ea subtractione potius eis commodum quam incommodum ortum, misimus eisdem pro Ecclesia Monasterii eorum indulgentiam perpetuam.

**) nunc quoque Corbeiae fama fertur codicem Taciti in dolio occultatum et ita noctu per furtum ablatum. Haase editio Taciti p. LVIII.

***) Auch diese Abhandlung ist nur für die Schüler bestimmt, mit dem Nebenzweck sie im mündlichen Gebrauch der lat. Sprache zu üben. Sie wurde natürlich nicht vor der Lektüre der Germania vorgetragen. Die Einleitung ist ausgelassen.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

inter Romanos et Germanos erant gesta, a Tacito in adversariis nullo modo poterant perscribi, et quod eodem loco alterum Traiani commemorat consulatum, quomodo poterit explicari? An statuemus amicos illos, ut legentes fallerent iisque persuaderent Germaniam ab ipso Tacito esse editam, illos locos adiecisse? Quod quam absurdum sit, quis est quin videat? Adde quod Tacitus optat, ut discordia illa Germanorum sit perpetua (c 33), num id quoque ex adversariis videtur esse depromtum? Sed satis esse dictum arbitror ad hanc sententiam refellendam.

Jam accedamus ad examinandam sententiam eorum, qui non negarunt quidem Germaniam ab ipso Tacito perscriptam atque absolutam esse, at in eam inciderunt opinionem, ut affirmarent fuisse libellum non totum per se opus, excidisse e maiore aliquo opere, fuisse Germaniam digressionem maiorem vel ut Graeco verbo utar ἐπεισόδιον. Eam autem digressionem singulari quadam fortuna esse servatam, cum illud opus, cuius fuisset pars, interiret. Inde explicari quod Tacitus Germaniae non praemisisset prooemium, quo alias rationem consiliumque scribendi soleret explicare. Simili quadam ratione Agricolae esse insertum illum locum, quo Britanniae contineretur descriptio, historiis illam digressionem de Judaeis. Inde explicari quoque, quod Germaniae tam raro a scriptoribus, qui postea fuerunt, fieret mentio.

At primum illa similitudo cum illis, quas afferunt, digressionibus non est tanta, quantam isti putant. Loci enim de Britannis et de Iudaeis multo sunt breviores neque ulla ratione cum Germania possunt comparari. Quaerentibus deinde, ubi hoc episodium potuerit inseri, duo modo loci apti occurrunt, alter in annalibus, in historiis alter. At in annalibus ii libri, quibus bella Romanorum Germanica narrantur, exstant, neque ullum est vestigium, unde appareat ibi aliquid intercidisse. In historiis unus locus est aptus rebellio Batavi Civilis. At ne ibi quidem ullum eius rei vestigium. Nam illud vix verendum sit, ne quis contendat post absolutam illam demum narrationem, cuius finis non exstat, Germaniam fuisse insertam, nedum quis censeat Tacitum, cum Caligulae expeditionem in annalibus vel Domitiani in historiis narraret, Germaniam quasi prooemium praemisisse. Accedit quod Germania ipsa unum quodammodo est corpus perfectum atque absolutum, ad quam intellegendam et explicandam alio libro opus non est. Quod vero caret prooemio, inde parum recte quidam homines docti concluserunt hunc libellum maiori cuidam operi fuisse insertum, nisi forte quis statuet qui semel operi praemiserit prooemium, eum id semper facere debere.

Ceteri qui de consilio, quod Tacitus in Germania scribenda habuit, disseruerunt, in una re consentiunt, quod eam unum iustumque per se opus esse arbitrantur, ceterum mira quaedam sententiarum inter eos est diversitas.

Nam alii plurimum tribuunt anno, quo Tacitus Germaniam videtur edidisse, Traiano iterum consule, quem virum fortissimum eundemque hominem belli gloriae cupidissimum fuisse constat; coniciunt igitur Tacitum hoc libello rationibus imperii consulere voluisse. At in hac ipsa re quiddam sane singulare accidit. Nam cum alteri affirmarent Tacitum virtutem atque fortidudinem Germanorum summis laudibus exornasse, ut imperatorem de bello, quod funestissimum ipsi videretur, deterreret, alteri contenderunt idcirco Tacitum Germaniam scripsisse, ut quam periculosa esset illa gens demonstraret commoveretque imperatorem illum fortissimum, ut bello inferendo quam primum illi periculo occurreret.

At utramque sententiam esse falsam vel inde videtur apparere, quod si ulla plana atque aperta alterutrius consilii exstaret significatio, vix fieri potuisset, ut duae sententiae inter se contrariae excogitarentur atque expromerentur. Praeterea in tota Germania nullum, mihi credite,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

legitur verbum, quo eius modi consilia Taciti animo obversata fuisse demonstretur, immo vero omnes causae, quibus isti sententiam suam confirmant, non ex ipso libro repetitae sed aliunde videntur esse depromtae. Quid deinde? consilium quis dat ita, ut nemo quid ipse velit, intellegere possit? ut alii aliter atque in contrariam partem voluntatem eius interpretentur? Postremo, id quod maximi sine dubio est momenti, Traianus non is erat, qui a Tacito doceretur. Etenim ipse in Germania militaverat atque Germanorum mores institutaque et si quae inde imminebant pericula, sine dubio melius Tacito cognoverat. Huc accedit quod magna pars libri, ea qua singulae civitates enumerantur atque describuntur, redundaret.

Alii exstiterunt qui affirmarent Tacitum summa admiratione maiorum nostrorum ad Germaniam scribendam esse impulsum. Quod multa in moribus atque institutis Germanorum Tacitus, qua erat iudicii integritate atque ingenuitate, laudavit atque comprobavit, inde concludunt eum nimio studio atque amore Germanorum inductum id egisse, ut eorum virtutes atque laudes maximopere celebraret. At num unquam Tacitus oblitus est, id quod apud nostros facile fieri solet, se esse hominem Romanum? num unquam Romanos barbaris postposuit? Evolvite, quaeso, Germaniam! Legite quae Tacitus scribit in c. 30: „quodque rarissimum nec nisi Romanae disciplinae concessum, plus reponere in duce quam in exercitu.“ Quid? idem amantissimum Germanorum sese videtur praestitisse, cum scriberet. (c. 23): „si indulseris ebrietati suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile vitiis quam armis vincentur?“ Quibus cum verbis conferte quae scripsit in c. 33 de clade illa Bructerorum: „Pulsis Bructeris — favore quodam erga nos deorum; nam ne spectaculo quidem proelii invidere. Super LX milia non armis telisque Romanis, sed quod magnificentius est, oblectationi oculisque occiderunt. Maneat duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui, quando urgentibus imperii fatis nihil iam praestare maius fortuna potest quam hostium discordiam.“ Profecto absurdum est contendere haec qui scripserit studio fuisse atque amore Germanorum incensum.

In simili errore versantur qui Tacitum putant eo consilio libellum hunc composuisse, ut integros atque incorruptos Germanicae gentis mores describens suis civibus quasi speculum honestatis atque virtutis proponeret, quod intuentes de ipsorum vitiis libidinibusque admoniti ad antiquam virtutem, a qua degeneravissent, reducerentur. — At eiusmodi descriptionibus externarum gentium civium mores corrupti emendari non solent neque verisimile est Tacitum, hominem ingeniosum atque prudentem, sibi persuasisse tam facili negotio sese rem eo deducturum ut mores Romanorum per aliquot iam saecula magis magisque depravatos corrigeret atque emendaret. Adde quod Taciti libri, cum difficiliores essent intellectu, a paucis sine dubio legebantur, scilicet ab eruditissimo quoque, a vulgo neglegebantur. Vide ne summae levitatis atque temeritatis Tacitum accusemus, si eum eiusmodi consilia animo agitasse statuerimus.

Iam vero quos homines suis civibus imitandos proposuisse dicitur! Nam Tacitus tantum abest, ut in Germanis omnia summis laudibus ornet, vitia Germanorum silentio non praetermittit. Germani, Tacito si fidem habemus, ebrietati maximopere se dabant, aleae erant dediti vehementissime, erant gens pigerrima atque inertissima, perpetuis paene discordiis inter se seiuncti, ultionis petendae cupidissimi, aliaque id genus vitia haud pauca commemorantur. Quid? hanc gentem Tacitus suis civibus tanquam virtutis atque integritatis videtur proposuisse exemplar?

At fingite haec vitia non fuisse tanta, ut non maioribus virtutibus compensarentur, num hic libellus ita compositus est, ut id consilium, quod isti sibi videntur deprehendisse, manifesto

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

appareat? Dic, quaeso, cur tam copiose egit de terrae natura? de incolarum natura, de singulorum populorum sedibus? cur totam illam alteram partem adiunxit? Nonne melius erat, si id spectasset, quod isti volunt, de moribus atque institutis maiorum nostrorum disserere copiosius, totam illam alteram partem omittere?

Neque minus videntur errare si qui in ea sunt sententia, ut id spectasse Tacitum affirment, ut morum germanicorum integritate describenda suae civitatis mores perstringeret atque satira quodammodo castigaret. Quae opinio unde sit orta facile est intellectu. Tacitus, id quod aliter fieri non poterat, saepe suorum civium mores respicit neque raro cum quadam iudicii acerbitate. Veluti in c. 19, ubi de castitate Germanorum agit, addit verba illa praestantissima: „nemo enim illic vitia ridet nec corrumpere et corrumpi saeculum vocatur," quibus verbis ipsum mirum quantum ab ea morum corruptela, qua tum plerique Romani tenebantur, abesse atque abhorrere egregie demonstravit, et paulo post idem dicit: „plus ibi boni mores valent quam alibi bonae leges", quo loco Tacitum vocabulo alibi Romam voluisse significare nemo negabit. Atque eiusmodi loci satis multi possunt afferri. At quicunque peregrinorum morum imaginem suis civibus proponit, non potest non ea maxime commemorare atque urgere, in quibus peregrina illa gens a popularibus abhorret; qua in re facile accidet, ut comparatio quaedam inter utramque gentem instituatur. At si popularium mores plus semel vituperantur, inde non continuo poterit concludi scriptorem id egisse, ut suorum mores reprehenderet eoque consilio librum composuisse. Nihil autem aliud Tacitus videtur commisisse. Praeterea hanc qui proposuerunt sententiam, ii prorsus falsum atque iniquum de Tacito tulerunt iudicium. Tantum enim abest ut Tacitus quasi ex insidiis latebrisque sui saeculi mores castiget, liberrime atque apertissime vituperat, quae ei videntur vituperanda idque facit non magis in Germania quam in ceteris, quae edidit scriptis. Huc accedit, id quod iam supra commemoravimus, quod si id Taciti fuisset consilium altera illa pars, qua de singulis Germaniae populis agitur, omnino redundaret.

Esto, verum quid tandem spectavit? quo consilio Germaniam scripsit? Tacitum enim hominem prudentissimum non temere atque leviter hunc librum scripsisse, Tacitum certo quodam consilio Germaniam composuisse consentaneum est. Concedo, neve me sine iusta causa, quae alii protulerunt, ea convellere et labefactare arbitremini, meam quoque sententiam de ea re vobiscum communicabo, qua in re spero me ea prolaturum argumenta, quae vobis quoque probentur.

Tacitus sine dubio iam Domitiano imperante ad historiam scribendam accesserat, neque tamen edidit, quae scribere instituerat, quia tum libere loqui non licebat, Domitiano autem vixdum necato edidit Agricolam et paulo post Germaniam. Eundem Tacitum iam tum verisimile est consilium cepisse res Romanas ab excessu divi Augusti usque ad Domitiani necem perscribendi. Erant autem illis temporibus res Romanae connexae atque colligatae cum rebus Germanorum, qui Gallia a C. Julio Caesare in provinciae formam redacta, finitimi Romanorum erant facti; bella gravissima cum Romanis erant gesta, pax composita, foedera inita, quibus ex foederibus civitates aliquot germanicae contra ipsos populares pugnaverant, mercatores Romani in horridas illas Germanorum silvas paludesque penetraverant, barbarosque multis novis rebus mercibusque assuefecerant, principum filii sive obsides sive erudiendi in urbem erant missi, multi praeterea Germani in exercitibus Romanorum faciebant stipendia, quin etiam imperatores Romani Germanis ob eorum virtutem atque fidem corporis custodiam solebant committere.

Tacitus igitur cum rebus Romanis scribendis operam navaret, facere non potuit quin Germanorum quoque res atque mores, vitam institutaque accuratius cognosceret. Cumque

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ea omnia neque maiori illi operi, quod scripturus erat, inserere posse videretur et gens Germanica eius animum ad se advertisset, natum est consilium singularem hunc librum conscribendi. Neque enim Tacitum fugere poterat gentem germanicam esse propriam quandam atque singularem, quid quod praesagisse videtur futurum aliquando, ut inde gravissimum periculum, quin etiam funestum exitium imperio Romano immineret. At forsitan quispiam dixerit hoc libro opus non fuisse ea aetate, Romanos ex multis aliis libris naturam moresque Germanorum percipere potuisse, iam Livium Drusi in Germaniam expeditiones enarrasse, Plinium maiorem satis amplum opus de bellis germanicis edidisse. Qua in re equidem non nego Livium, ut eius est mos, non solum res gestas narravisse sed etiam multa de moribus Germanorum addidisse. At Livius ea fuit aetate, qua nondum tam accurate quam postea Romani patriam nostram cognoverant; Plinius quidem maior et ipse complures annos in Germania militaverat et in suo opere sine dubio multa de Germanorum terra et vita et moribus disputaverat. At primum non est cuiusvis magna legere opera, deinde quae Plinius de ea re adiecerat, ea fortasse non uno continebantur loco sed hic illic per totum opus erant dispersa, ut si qui tum mores gentis Germanicae vellet cognoscere, illi singula per totum illud opus maximum essent conquirenda. Deerat igitur, nisi fallor, liber, quo quae usque ad id tempus Romani de maioribus nostris cognita habebant, continerentur. Quem librum qui scriberet nemo magis aptus videtur fuisse quam Tacitus, itaque factum est ut Tacitus hunc librum scriberet praeclarissimum, qui cum diu neglectus ac paene incognitus iacuisset, saeculo XV demum denuo inventus est. Quod vero hunc librum composuit Tacitus, eius rei nos Germani potissimum gratiam summam ei habere debemus, nam nostrorum maiorum ille res moresque tam luculente illustravit, ut Jacobus Grimm*), quo nemo antiquitates Germanicas melius cognovit, suo iure diceret hoc libro immortali quasi Aurora quadam res Germanorum esse illustratas.

---

*) Durch diese unsterbliche Schrift ist ein Morgenroth in die Geschichte Deutschlands gestellt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ea omnia neque maiori illi operi videretur et gens Germanica eius animum ad se adve hunc librum conscribendi. Neque enim Tacitum fugere pot m quandam atque singularem, quid quod praesagisse vi vissimum periculum, quin etiam funestum exitium imper nispiam dixerit hoc libro opus non fuisse ea aetate, Roma que Germanorum percipere potuisse, iam Livium Drusi , Plinium maiorem satis amplum opus de bellis germani nego Livium, ut eius est mos, non solum res gestas narr ermanorum addidisse. At Livius ea fuit aetate, qua nond i patriam nostram cognoverant; Plinius quidem maior et averat et in suo opere sine dubio multa de Germanorum te At primum non est cuiusvis magna legere opera, deind fortasse non uno continebantur loco sed hic illic per to n mores gentis Germanicae vellet cognoscere, illi singula p onquirenda. Deerat igitur, nisi fallor, liber, quo quae usq s nostris cognita habebant, continerentur. Quem librum q uisse quam Tacitus, itaque factum est ut Tacitus hunc libr m diu neglectus ac paene incognitus iacuisset, saeculo X ero hunc librum composuit Tacitus, eius rei nos Germani re debemus, nam nostrorum maiorum ille res moresque tan m*), quo nemo antiquitates Germanicas melius cognovit, s quasi Aurora quadam res Germanorum esse illustratas.

---

*) Durch diese unsterblich te Deutschlands gestellt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf